Quelle: https://manuscripta.at/?ID=925
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

[E]t multitudo hominum estimatione excedat eo quod de pluribus eorundem miraculorum a multis adhuc superstitibus in partibus Austrie et Stirie adiacentium certam scientiam habeamus hoc etiam indubitate comperimus quod ipse Marchio multis virginum suis miraculis graciam et optima beneficia prestitit nisi qui vere confessi et contriti ipsius interventum apud dominum implorabant. Hec quo appareat liquido quod non a deceptione humani generis hoste antiquo sed a dei spiritu humano generi prestita hec sua miracula processerunt

Subsequentia miracula in fine conscripte Cronice et in eodem libro descripta reperiebantur

Primo enim quidam de Civitate Neuenburgensi multo tempore visu orbatus ad sepulchrum ipsius Marchionis veniens et eius opitulationem pro receptione visus inplorans statim visum recepit.

Item quedam mulier de Carinthea demoniaca apud Sepulchrum marchionis a demonio fuerat liberata.

Item quidam Hainricus nomine de Pataviensi Civitate contractus pedibus et monoculus beneficio predicti Marchionis visum ceci oculi obtinuit et usum pedum.

Item quedam puella de villa Nusdorff podogra utriusque pedis patiens apud sepulchrum ipsius usum pedis utriusque impetravit.

Item Masculus quidam novem annorum de Civitate Hertzogenburga cuius parentes ibidem noti erant a Nativitate mutus lingue officium recepit

Item quidam presbiter de Herbipoli et ibidem notus utriusque oculi visu carens lumen obtinuit oculorum

Item quidam puer in utraque manu Ciragram patiens merite dicti Marchionis vigorem et usum manuum impetravit

Item quedam mulier nomine Elizabeth in uno pede podogram patiens eiusdem pedis obtinuit sanitatem

Item quidam Sifridus cognomine Albus de Nusdorff in utroque pede podagricus pedum recepit sanitatem

Item quedam mulier nomine Golda de Vienna a lapide quem habebat in oculo fuerat liberata